

est: alias secus. Vel dicendum Abbate loc. cit. n. 41. datam rationem procedere, quando quis negat in facto proprio, seu quasi proprio, et praesumitur appetere, seu horrere aliquid, prout ibidem accidit; nam tunc obest sibi confessio propria extrajudicialis antea facta, et negatio judicialis sequens redditur suspecta; quia praesumitur facta ratione emolumentum inde sperati. Secus autem dicendum, quando quis assumitur testis in facto alieno, unde nullum sibi sperare potest commodum eventurum: durum enim esset, quod quis ex simplici assertione extrajudiciali possit praeccludere viam veritatis indagandae in iudicio.

39. Objicies ulterius. In l. *Eos qui*. ff. *Ad leg. Cornel. de Falsis* dicitur, « Eos, qui diversa inter se testimonia praebuerunt, quasi falsum fecerint, esse puniendos; » ergo neque primum, neque secundum dictum testis variantibus valet, quia est convictus de falso, atque ut talis puniendus. Resp. neg consequent. Ibi quippe sermo est de duobus contrariis testimoniis datis in iudicio, prout liquet ex sumario: in quo casu non credi secundae depositioni, cum fiat a convicto de falso, ultro est fatendum, conformiter dictis supra n. 330. Inde tamen nihil infertur contra ultimam conclusionem.

340. *Prima depositio jurata judicialis debilitatur per secundam judicialem contrariam, arbitrio iudicis.* — Resp. III. Licet prima depositio jurata, et judicialis, per secundam contrariam totaliter revocari non possit, ut dictum n. 330. nihilominus prima depositio per secundam judicialem contrariam debilitatur, ac redditur plurimum suspecta; et iudex ex circumstantiis, aliisque indiciis discernere debet, an, et quanta ei fides sit adhibenda. Ita Abbas in c. *Per tuas*. n. 11. de *Probat.* etc. *Cum in tua*. n. 9. et Felinus ibid. n. 4. h. t.; Tyndarus cit. lib. I. cap. xiv. n. 3; Engel. h. t. n. 56; Farinacius d. quaest. 66, n. 164. allegans alios. Idque desumitur imprimis ex c. *Præterea. de Testib. cogend.* Accedit textus in c. *Sicut nobis*. 9. h. t. ubi testibus privatim, seu extrajudicialiter dicentibus, se corruptos dedisse falsum testimonium, praeter poenitentiam eis injungendam, jubetur veritas diligenter inquiri: et consequenter eorum testimonium iudiciale debilitabatur, seu suspectum reddebatur per contrarium dictum ipsorum subsequens, licet fuerit duntaxat extrajudiciale. Idem ergo, et quidem a fortiori, dicendum de secundo dic-

to judiciali, quando est varium, seu contrarium priori judiciali.

341. *Idemque dicendum, quando testis extra iudicium responderit contraria dictis in iudicio.* — Addit Covarruvias lib. II. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 7. post Aretinum Consil. 71. col. 4. Alexandrum consil. 63. lib. I. et alios, vacillaturam quoque fidem testis, et arbitrio iudicis fore diminuendam, quando is extra iudicium etiam absque juramento responderit contraria his, quae jam solemniter in iudicio dixerat. Non enim (inquit) quisquam inficiari poterit, hunc testem saltem esse mendacem, et varium, sicque fidei satis dubiae; et ideo caute cum eo est agendum, et iudex discretus arbitrabitur, quantam fidem mereatur, attentam negotii, personarum, et temporis qualitate. Accedit casus proxime relatus ex cit. c. *Sicut nobis*. h. t.

§ XI.

DE TESTIBUS, DE CREDULITATE, ET AUDITU AUDITUS.

342. *Testes de scientia, qui?* — Quæritur I. Qui dicantur testes de scientia, de credulitate, et de auditu? Resp. I. Testes de scientia dicuntur illi, qui deponunt, se scire rem ita gestam esse, eo quod proprio sensu corporeo, v. g. visu, vel auditu eam perceperint; puta, viderint Titium a Caio esse occisum, audierint eum blasphemantem, et hujusmodi. Scire enim in proposito illud dicimus, ad quod movemur per sensum: et hæc est scientia quæ requiritur in teste, ut inquit Abbas c. *Litteras*. n. 12. de *Jurejurand.* Idque patet ex can. *Hortamur*. 3. q. 9. et melius ex can. *Testes*. ead. caus. 3. q. 9. ubi dicitur: « Testes per scripturam testimonium non proferant, sed praesentes de his, quæ noverunt, et viderunt, veraciter testimonium dicant: nec de aliis causis, vel negotiis dicant testimonium, nisi quæ sub praesentia eorum acta esse cognoscuntur. » Concordat textus in l. *Testium. c. de Testib.* juncta Glossa marginali ibid. recte notante, quod testis debeat reddere rationem dicti sui per sensum corporeum, puta per visum, vel auditum, quibus communiter res gestæ percipiuntur; aut loquendo de iis, quæ gestu, odoratu, vel tactu percipiuntur, per sensum illis proportionatum.

343. *Testes ordinarie requiruntur. Testes te-*

§ XI. DE TESTIBUS, DE CREDULITATE, ET AUDITU AUDITUS.

mentur reddere causam scientiæ, seu testimonii sui. — Et tales dicuntur Testes de propria scientia, quales ordinarie requiruntur ad facti probationem: quia non possunt testes esse certi de facto externo, et sensu perceptibili, nisi per aliquem sensum corporeum. Unde fit, quod testes teneantur reddere causam scientiæ, seu testimonii sui, quando desuper interrogantur, prout a iudice interrogari debent, c. *Cum causam*. 37. juncta Glossa *De causis*, h. t. Adeo, quod alioquin dictum ejus non valeret, c. *Sicut nobis*. 16. de *Sentent. et re judicat.* ac notat Glossa ibid. *De causis*, et communis doctorum.

344. *Testes de credulitate, qui? Hi proprie non dicuntur testes. Et sententia lata per dicta testium de credulitate, nunquam transit in rem judicatam.* — Resp. II. Testes de credulitate dicuntur, qui jurati deponunt, se credere, rem ita se habere. Et tales proprie non dicuntur testes, sed tantum improprie; ut inquit Glossa in l. II. § penult. *De Audierint*. ff. de *Aqua pluvia arcend.*; Farinacius de *Testib.* quaest. 68. n. 62 et Jason. in rubric. ff. de *Jurejurand.* n. 11. citans alios. Ubi proinde post Ant. de Butrio in c. *Proposuiti. de Probat.* et Lud. Romanum consil. 228. ad fin. et Alexandrum de Imola in l. *Si ab hostibus*. ff. *Soluto matrim.* notanter infert, quod sententia lata per dictum testium de credulitate, nunquam transeat in rem judicatam; sed cognita veritate per alios testes melius deponentes, semper possit retractari.

345. *Credulitas non potest stare cum scientia. Scientia de illis, quæ sunt facti, unde capiatur?* — Porro, quod testes de credulitate non dicantur proprie testes vel ex eo patet. Quia credulitas concipitur ex variis argumentis, indiciis, et praesumptionibus, ut inquit Abbas c. *Litteras*. n. 12. de *Præsumpt.* ergo hoc ipso non potest stare cum scientia (qualis requiritur in teste proprie dicto per jura n. 332. allegata) sed inest ipsis quoddam dissidium. Scientia enim de illis, quæ sunt facti, tunc habetur; quando eam capimus per proprium sensum, puta, videndo, audiendo, gustando, etc. Credulitas autem ex conjecturis dimanat: et sic ibi non est vere scientia, sicque nec testis proprie dictus Mascardus de *Probat.* concl. 439. n. 2. et seqq.

346. *Testes ex auditu auditus, sive ex auditu alieno qui?* — Resp. III. Testes ex auditu auditus, sive (ut alii lequuntur) ex auditu alieno, vocantur illi, qui jurati deponunt, se illa audivisse narrari a viris fide dignis. Nam

ut notat Glossa in can. *Hoc videtur*. 22. q. 5. *De Indicavit*. testimonium de auditu proprie est cum quis audivit aliquid dici esse factum.

347. *Non dicuntur vere, ac proprie testes et cur?* — Porro testes de auditu alieno, pariter non dicuntur vere ac proprie testes; prout notat Glossa l. *In summa*. *De Audierint*. ff. de *Aqua pluvia arcend.* Abbas c. *Tam litteris*. n. 5. et Felinus ibid. n. 2. h. t. Farinacius quaest. 69. n. 7. citans alios. Et ratio est, quia testis debet deponere de eo quod gestum est, vel dictum in sua praesentia, cit. can. *Testes*. 3. q. 9. Tales autem non sunt testes ex auditu auditus, uti patet. Et hinc in c. *Licet ex quadam*. 47. h. t. testes de auditu dicuntur « Testes praeter communem formam: » de quibus proinde etiam procedunt dicta n. 344. nempe, quod sententia ex eorum dictis lata, non transeat in rem judicatam.

348. *Regula est, quod testes de credulitate non probent.* — Quæritur II. Utrum testes de credulitate sint admittendi, et aliquid probent? Resp. I. Regula est negativa, videlicet eos non esse admittendos, nec probare. Ita Glossa c. *Quoties*. *De Credere*; et Felinus ibid. n. 7. *Est enim regulariter*. h. t. et alia Glossa l. *Testium*. *De Præsto*, c. eod.; Speculator tit. *De Teste*. § 1 n. 58; Socinus de *Fallentiis*, reg. 407; Farinacius loc. cit. quaest. 68. n. 62 et doctores communiter. Ratio est quia testis de credulitate nihil certi videtur affirmare: quinimo credulitas dimanat solum ex conjecturis, ac praesumptionibus; ac proinde ibi non datur vera scientia, virtute cujus quis possit aliquid certo affirmare. Atqui testes, ut probent, debent deponere de eo, quod viderunt, seu proprio corporeo sensu perceperunt, sicque sciunt, can. *Testes*. 3. q. 9. et l. *Testium*. C. h. t. ergo. Accedit, quod testis de credulitate non sit proprie testis, ut proxime dictum: quinimo stricte loquendo, « scire, et credere, non possunt super eodem facto concurrere. » Abbas d. c. *Quoties*. n. 9. h. t. Quamvis illico recte moneat, quod verba testium rudium, qui non capiunt istas subtilitates, et sæpe dicunt, se credere illud, quod sciunt, sint largo modo capienda, ut valeat eorum testimonium.

349. *Fallit tamen in pluribus casibus.* — Resp. II. Etsi data conclusio contineat regulam, procedatque regulariter; dantur nihilominus plures casus, in quibus necessitate sic suadente admittuntur testes de credulitate. Ita Speculator tit. *De Teste*. § 1. n. 58; Soci-

nus cit, reg. 407; Jason ad rubric. ff. de *Jurejur.* n. 4. et seqq. octo limitationes dictæ regulæ referens. Farinacius cit. quæst. 68. n. 74. et seqq. octodecim tales limitationes adducens, et communis; idque probatur inductione.

350. *Ut, quando credulitas est proxima sensui.* — Sic imprimis, quando credulitas est proxima sensui, per quem percipitur veritas, tunc valet tale testimonium: secus, quando est remota a sensu. Abbas cit. c. *Quoties.* n. 9. h. t.; Mascardus de *Probation.* concl. 459. n. 12; Farinacius cit. quæst. 68, n. 92. allegans alios. Exemplum prioris est: si testis dicat, se vidisse solum cum sola, vel nudum cum nuda in eodem loco, sicque credere quod commiserint adulterium: talis enim testis, utpote in materia difficilis cæteroquin probationis attestans de præsumptione tam violenta, seu deponens ex credulitate proxima sensui, probat, ut c. *Præterea.* 27. h. t. Secus foret, si solum vidisset eos simul confabulantes; quia inde non recte probaretur adulterium ex credulitate sua.

351. *Sive, quando testis de credulitate sufficientem reddit rationem credulitatis suæ.* — Hoc ipsum, sed sub aliis terminis, tradunt Farinacius cit. quæst. 68. n. 74. et Mascardus d. conclus. 459. n. 11. cum aliis dicentes, quod testis de credulitate probet, quando sufficientem reddit rationem credulitatis suæ: prout accidit in allato exemplo de eo qui vidit nudum cum nuda, sicque credit ipsos peccasse carnaliter. Idemque dicendum, quando concurrunt alia adminicula, et præsumptiones ad sic credendum: nam insufficientis probatio fit sufficiens ex præsumptionibus, conjecturis, aliisque adminiculis arg. *Cum causam.* 13. juncta Glossa fin. de *Probat.* et l. *Instrumenta.* C. eod. cum similibus. Præsertim, quando accedit præsumptio juris. Farinacius loc. cit. n. 40. post Rotam in una Clusin. Pension. coram Blanchetto, die 9. decemb. 1574. et alios.

352. *Item fallit in iis, quæ sunt difficilis probationis.* — Deinde data regula non procedit in iis, quæ sunt difficilis probationis, ut est probatio filiationis, ac hujusmodi: nam in talibus testis deponens per verbum *Credo*, bene probat. Jason ad rubric. ff. de *Jurejur.* n. 5. post Bartolum. in l. II. § penult. ff. de *Aqua pluvia arcend.*; Alexander consil. 24 n. 6. et 20. lib. II. Farinacius loc. cit. n. 81. et seqq. allegans alios.

353. *Admittuntur quoque testes de creduli-*

tate ad probandam hominis innocentiam. Sicut et in purgatione canonica. — Tertio, admittuntur testes de credulitate ad probandam hominis innocentiam, v. g. quod quis hominem occiderit ob necessariam sui defensionem. Jason loc. cit. n. 7. Farinacius n. 77. Pirhing h. t. n. 135. et alii. Siquidem innocentia hominis non potest aliter, quam per præsumptiones, ac credulitatem probari. Et ob eandem rationem in purgatione canonica admittuntur seu jurant compurgatores de credulitate. c. *Quoties.* et c. de *Testibus. de Purgation. canon.*

354. *Testes deponentes per verbum Credo de iis quæ consistunt in peritia artis probant: ut medici, obstetrices, etc. Nisi debeant deponere de rebus sensu corporeo perceptibilibus.* — Quarto, quando testes per verbum *Credo* deponunt de iis, quæ consistunt in peritia artis: ut fit in medicis, obstetricibus, ac hujusmodi. Tales enim probant. Glossa l. I. §. *Et duæ,* et Bartolus ibid. ff. de *Ventre inspiciend.*; Jason ubi supra. n. 4; Socinus cit. reg. 407. fallent. 3; Mascardus concl. 1370. n. 14; Felinus c. *Quoties.* n. 11. h. t.; Farinacius d. quæst. 68. n. 95. et alii. Siquidem periti in arte, utpote qui de rebus judicio duntaxat intellectus comprehensibilibus deponunt, hoc ipso non nisi de judicio et credulitate deponere valent. Aliud foret, si peritus in arte deponere debeat de rebus sensu corporeo perceptibilibus, puta per inspectionem ocularem: quia tunc tenetur jurare, et deponere non solum, quod ita credat, sed etiam, quod ita sit. Farinacius cit. n. 95. cum aliis.

355. *Testes de credulitate probant contra producentem.* — Quinto, licet testes deponentes de credulitate regulariter non probent contra illum, contra quem producuntur, ob dicta n. 348. probant tamen contra producentem, sive contra eum, a quo producuntur: quia producens videtur dicta eorum ratificasse, seu approbasse per suam productionem. Jason loc. cit. n. 9. post Ludov. Romanum consil. 104. in fin.; Maranta part. VI. *Speculi aurei.* tit. de *Testium productione.* n. 16; Mascardus d. concl. 1370. n. 18, asserens, quod testis de credulitate contra producentem optime probat. Farinacius n. 75. et alii.

356. *Sicut et confessio de credulitate probat contra confitentem.* — Sexto, testis, seu potius confessio de credulitate, probat contra confitentem, sicut probat confessio de veritate. Abbas cit. c. *Quoties.* n. 8. h. t. id probans

ex c. *Et Litteris.* 32. de *Jurejurand.* juncta Glossa fin. ibid. dicente, « quod æque præjudicat confessio de credulitate, sicut de veritate: » quia videlicet confitendo ex credulitate, quis approbat dictum suum. Idem tradit Tyndarus cit. tract. de *Testib.* lib. I. cap. v. n. 14. ubi ait, quod per verbum *Credo* inducitur confessio valida, et responsio positionibus, sicut per verbum assertivum. Jason, ubi supra n. 10. Farinacius n. 99. et alii.

357. *Testis primo deponens de veritate, et postea dicens se illud credere, probat.* — Septimo, quando testis primo deponit de veritate, seu quidpiam affirmat de scientia facti, et postea dicit se illud credere: nam per hoc non evanescit prius ejus testimonium, neque testis ille dicitur sibi contrarius, sed bene probat. Felinus c. *Quoties.* n. 8. h. t.; Jason loc. cit. n. 6; Mascardus d. concl. 1370. n. 17. asserens, quod tunc illud verbum *credere*, exponatur pro certitudine, et veritate. Farinacius cit. quæst. 68. n. 102. cum aliis.

358. *Testes de credulitate faciunt indicium efficacissimum; et quando?* — Octavo, licet testes de credulitate non inducant plenam probationem, nihilominus ipsi faciunt indicium efficacissimum. Jason loc. cit. n. 9. citans Angelum in consil. 3; Mascardus loc. cit. n. 22; Farinacius n. 105. et alii. Quod tamen intellige, quando testes congruam rationem assignant, unde resultat tale indicium, vel præsumptio, prout explicat Socinus in l. *Sive possidetis.* C. de *Probat.*, et Jason cit. n. 9.

359. *Testimonium de credulitate admittitur in omnibus illis casibus, in quibus admittitur testimonium de auditu alieno.* — Tandem, ut nonnullæ aliæ limitationes, apud auctores proxime citatos videndæ, sed cum præmissis multum convenientes taceantur testimonium de credulitate admittitur in omnibus illis casibus, in quibus admittitur testimonium de auditu de alieno. Speculator tit. de *Teste.* § 1. n. 58; Abbas c. *Quoties.* n. 7. h. t.; Jason ubi supra, n. 10; Farinacius cit. quæst. 68. n. 100; Mascardus d. concl. 1370. n. 19. Socinus cit. reg. 429. fall. 1. et alii. Occasione cujus:

360. *Regula est, quod testimonium de auditu alieno non valeat.* — Quæritur III. An, et in quibus casibus testes de auditu alieno, sive

auditum auditis probent? Resp. I. Regula est, quod testimonium de auditu alieno non valeat. Ita Glossa fin. c. *Quoties.* h. t.; Speculator loc. cit. n. 53. istud probans ex can. *Imprimis.* 2. q. 1. § *Sed et de personis.* et c. *Licet ex quadam.* 47. h. t. ubi Abbas n. 1. Farinacius de *Testibus.* quæst. 69. n. 1. et communis. Ratio est, quia testes de auditu alieno non fundantur super principali facto, sed super dicto tertii. Atqui istud non sufficit, quia testes tenentur deponere de sua, non aliena scientia: hoc est, de eo quod per proprium sensum perceperunt, juxta textum n. 342. relatos.

361. *Etiam si fama concurrat sine aliis tamen adminiculis. Dictum unius facile sequitur multitudo.* — Et hoc extende, etiam si fama publica cum tali depositione concurrat, sine aliis tamen adminiculis, arg. c. *Tam litteris.* 33. § 1. h. t. ubi nihil sufficienter ostensum dicitur; cum testes tantum de auditu, et fama deposuerint: et amplius firmat Glossa ibid. §. de *Auditu.* Accedit ratio: quia « dictum unius facile sequitur multitudo, » prout legitur in c. *Cum in juventute.* 12. de *Purgat. canon.*

362. *Idque vel maxime procedit in delictis.* — Atque istud vel maxime procedit in delictis. Card. Tuschus litt. T. conc. 180. n. 1. post Alexandrum consil. 72. n. 8. in fin. l. I. et alios. Adeo, ut testes de auditu alieno non solum non probent, sed nec præsumptionem faciant ad condemnandum, imo nec indicium ad torturam. Farinacius de *Testib.* quæst. 69. n. 9. et 13; Pirhing h. t. n. 137. et alii. Siquidem in criminalibus, ut jam sæpius dictum, requiruntur probationes indubitatae, l. *Sciant cuncti.* C. de *Probat.* et testes absque ulla macula et suspicione, seu omni exceptione majores, cap. I. de *Exception.* cum similibus.

363. *Notabilis casus quoad propositum refertur.* — Notabilem ad propositum refert casum Caramuel in *Theologia regulari.* n. 1881. de Maldero episcopo Antuerpiensi, viro cæteroquin doctissimo, qui pastorem de fornicatione, ut dicebatur infamatum, capi jusserat: auditur ipse, audiuntur octoginta rustici; negat ille crimen, asserunt isti, et negans ob tot testimonia, seu convictus de crimine condemnatur. Verum reus, audita sententia, cum neque hanc acceptare, neque appellare vellet, modeste ad episcopi colloquium admitti rogavit: qua gratia obtenta aiebat, se damnari ut convictum virtute informationis, quæ